

# EPISTULA LEONINA

## CLX

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEXAGESIMAM (160) !**

## ARGUMENTA

RESURREXIT .....	03
CHRONOGRAMMA PASCHALE ( <i>Demming</i> ).....	04
AGNUS PASCHALIS.....	05 - 07
IOHANNES IOVIDIES ( <i>Ganghofer/ LEO LATINUS</i> ).....	08 - 17
ASSUM LEPORINUM.....	18 - 19
CARMEN PASCHALE ( <i>Teresi</i> ).....	20 - 21
CHRONOGRAMMATA ( <i>Douteuil</i> ).....	22 - 27
CAROLINGIUS LEONEM SALUTAT.....	28
VOTA PASCHALIA.....	33

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

**Cara Lectrix, Care Lector,**

**maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam  
Leoninam centesimam sexagesimam. – Hanc Epistulam  
Leoninam 160 tolle et lege et laetare...!  
IN FESTUM PASCHALE TIBI EXOPTO OPTIMA QUAEQUE!**

Medullitus Te salutat  
**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**



**Sabbato Sancto sive Feriâ Sabbati  
31. m.Mart. a.2018**



**ΑΝΕΣΤΗ**

**RESURREXIT**

IESVS  
MORTE SVA  
EFFREGIT  
PORTAM  
VITAE

Hannes Demming fecit

# DE AGNI PASCHALIS

## ORIGINE ET VI SYMBOLICA

### PRAECEPTOQUE COQUENDI



Symbolum agni paschalis originem repetit a Novo Testamento. Īdem agnus est Iesus ipse, nam apud Iohannem (1,29) legitur: »Alterâ die vidit Iohannes Jesum venientem ad se et ait: “Ecce, agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi”«.

Ergo his verbis Iesus mors resurrectioque indicantur, quibus homines redêmit. Hac de causâ symbolum agni tempore paschali saepissimê adhibetur, nam ipsa haec redemptio his diebus specialiter celebratur.

Ceterum agnus est symbolum infirmitatis atque inermittatis necnon victima Testamenti vetusti typica. Christiani priores solebant carnem agninam altari supponere, quae erat benedicta et die resurrectionis comedebatur cibus primus.

## Praeceptum agni paschalis furno coquendi

Vetus quoque mos est Festo Paschali furno coquere agnum paschalem. Perquam utile ad hoc faciendum est praeceptum coquendi quod sequitur:

### Additamenta:

- 3 ova
- 1 vitellus
- 125 g sacchari
- 1 fasciculus sacchari vanillei
- 125 g farinae
- 25 g amyli
- 75 g butyri
- saccharum farinaceum

### Apparatio:



1. Ova, vitellum, saccharum, saccharum vanilleum vasi indito et battuto, dum omnia sint spumosa.
2. Deinde farinam cum amylo misceto et cautê peragitato, ut invadat in spumam ovorum.
3. Tum butyrum calefacito, refrigerescere sinito, continuo peragitans pastae guttatim immisceto.

4. Quarto formam agni paschalis praeparato: eam butyro illinito et farinâ miculisque similagineis inspergito.
5. Quinto formam pastâ completo et calore 180 °C (centum octoginta graduum Celsianorum) per 35-40 ferê minutas furno coquito.
6. Denique agnum paschalem coctum aliquantulo sacchari farinacei aspergito.



## **RELATIUNCULAM**

### **DE AGNO PASCHALI SCRIPTAM**

### **IN LATINUM CONVERTIT**



## **LEO LATINUS**

# IOHANNES IOVIDIES<sup>1</sup>

**Fabella paschalis a Ludovico Ganghofer scripta**



**LUDWIG GANGHOFER (1855-1920)**

Aliquando, multis annis ante, fuit anicula quaedam pauper et annosa. Haec mulier ab hominibus vocabatur Mater Annula; quae habitabat extremo in vico in parvâ domunculâ et habebat filium adultum, qui vocabatur Orthobius. Hoc nomen optimê ad eum quadravit, nam îdem Orthobius vivebat rectê atque honestê<sup>2</sup>, ut decet iuvenem pauperem atque sincerum. Qui erat staturâ gracili, robustus atque agilis, facie comi, capillis nigris circumdatâ, oculis avellaneis<sup>3</sup>, qui in mundum spectabant tranquillâ quadam cum gravitate, meditabundi atque somniantes, interdum tantum paululo nimis tristes. Hoc quidem

<sup>1</sup> orig.: *Hans Donnerstag*. +**iovidiēs**, -ēi m. i.q. Iovis dies. cfr Archivum Latinitatis Medii Aevi. Lexicon imperfectum p.31, Genève 1990. Ganghoferus hunc +cobalum (theod. *Kobold*), qui hac in fabellâ ludit personam maioris momenti, appellat nomine diei septimanae. cfr nomen illius amici Robinsonis a *Daniele Defoe* mente conficti (angl. *Friday*), qui ab interprete Latino nuncupatus est \**Veneridiēs*.

<sup>2</sup> **Orthóbius**, -ii m. orig.: *Lebrecht*. Ceterum nomen graeco-latinum, q.e. Orthobius, reverâ exstat in litteris Latinis: e.g. Gustav Orthobius (sic!) Flügel: *Dissertatio de arabicis scriptorum graecorum interpretibus*. Misenae 1841.

<sup>3</sup> \***avellāneus**, -a, -um: orig. *haselnussbraun*. cfr Coloman Vaczy, *Dicționar Botanic Poliglot*, București 1980, p.94, n.1231: *AVELLANEUS*, avelaneu, de culoarea brunie a fructelor de *Corylus avellana* [drab; haselnußbraunfarbig...].



factum erat certâ de causâ ... et haec causa appellabatur Margarita. »Statim suspicatus eram huic quoque fabellae subesse aliquam puellam lascivolam!« Sic usque hodie omnis homo dixit hanc fabellam audiens. Ita fuit, illa Margarita fuit puella lascivola. Perquam vehementer superbiebat patre suo divite, vetere molinario, insolens erat atque fastidiosa more picae garrulae, semper parata erat ad technas et iocos faciendos, eiusque gunnae volabant, etiamsi ventus non flabat – tam vegeta et agilis erat Margarita. Tamen etiam erat venusta, venustissima<sup>4</sup>, ut hoc confiteamur. Eadem rubro ore ridibundo osculisque cerasinis<sup>5</sup> coruscisque tantum valebat, ut cor aspicienti saliret<sup>6</sup>.... de hac re Orthobius sciebat narrare.

Nam hoc sic factum erat. Maritus enim Annulae vetulae moriturus puero suo, cum advocasset, sic dixerat: »Vide, Orthobi, noli me imitari! Nam auceps, qualis sum, per totam vitam nil habet nisi curas et labores, egenam operulam atque mercedulam parvulam. Potius imitare crassum illum molinarium! Is certe non est magno ingenio. Tamen vir egenissimus cum in vicum venerit, hodie sedet medios inter saccos farinae – et pecuniae. Ergo sis prudens, Orthobi, et fias molinarius, deinde vitam ages iucundam aetate provector«.

His dictis senex mortuus est. Mater autem Annula atque Orthobius amariter de eo lacrimaverunt, et cum eum in margine silvae sub abiete vetustâ sepelivissent, de cuius ramis fila muscorum longa et griseo-viridia dependebant tamquam vexillula lugubria, Orthobius profectus est ad molinarium. Maluit quidem vitam degere in silvâ et ericeto liberam, sed, ut erat filius bonus, voluit patri mortuo oboedire.

»Velim rogare, nonne in molinâ egeas socio<sup>7</sup>?« Haec dicens Orthobius conclave molinarii intravit.

<sup>4</sup> **venusta, venustissima:** orig. *sauber, bildsauber*. cfr <https://www.bayrisches-woerterbuch.de/bildsauber-adj/> „bild-sauber (Adj.) [buidsauwà] bildhübsch, sehr attraktiv, gut aussehend, wunderschön (...am Sepp sei Tochter is a buidsauwas Deandl!).“

<sup>5</sup> **cerasinus,** -a, um: cfr PETRON.28,8; 67,4.

<sup>6</sup> **oculis... tantum valēbat, ut cor aspicientī saliret** orig. *Sie konnte mit ...ihren ...Augen einem das Herz im Leibe umdrehen*. cfr PLAUTUS, Miles gloriosus IV,2, 1089 ut cor ei saliat. cfr M.Accii Plauti comoediae, ex editione J.F. Gronovii, vol.IV, Londini 1829, p.2031, n.96:“*Ut cor ei saliat*] Id germanum censeo; ut alludat ancilla ad id, quod servus dixerat, ‘cordate’; in amore autem vehementi cor subsilire solet. *Lipsius*“.

<sup>7</sup> **socius molinarius** *Mühlknappe*.

Molinarius labiis stridens<sup>8</sup> »Videamus« dixit, qui post mensam sedebat, cum ante eum in catino stagneo nidorabat<sup>9</sup> pingue assum porcinum. Molinarius coepit colloqui cum Orthobio, qui tam prudenter ei respondit, ut molinarius mox intellexeret illum sibi fore utilem et iuvenem robustum et prudentem sibi faceret socium. Tum Margarita conclave intravit, ut patri afferret cantharulum completum, et iuvenis pulchrâ puellâ aspectâ vehementer erubuit nec ullum verbum êdidit, ut molinarius ridens eum mitteret ad socios. Margaritae autem roganti, quisnam ille esset, pater respondit: »Novus est socius molinarius!« Tum Margarita: »Ah, verumne?« inquit, »Iam cogitaram illum esse aliquem piscem mutum a te e rivo molinae tractum!« His verbis auditis Orthobius prope ianuam stans erubuit etiam vehementius.

Inde ex hōc die Orthobius mansit in molinâ. Qui ante sōlis ortum surgebat, cubitum ibat ante sōlis occasum; unum oculum coniciebat in laborem exanclandum, alterum in Margaritam. At horum oculorum unus et alter tantum valebat quantum aliorum oculorum tota decuria. Homines numquam antea acceperant farinam tam subtilem, neque umquam molinario fuerant tot emptores, quot fuerunt ex eo tempore, quo Orthobius in molinâ operatus est.

Neque umquam in Margaritae hortulo et ante eius fenestram floruerant flores tam pulchri, neque umquam aves canorae tam rarae domunculis lepidulis inclusae pependerant in conclavi Margaritae, quam ex eo tempore, quo Orthobius eius benevolentiae studuit. At aliud est benevolentiae studere, aliud est eandem accipere. Quandocumque Margarita Orthobium aspiciebat, nasulum iam contorquebat et simulabat se caeciliam calcavisse. Quae puella miserum iuvenem per domum aulamque agitabat tamquam pastor in campo canem suum villosum<sup>10</sup>, nec ullus servorum alius tot et tanta patiebatur Margaritae superbiâ et ineptiis et cavillationibus quam Orthobius. Is autem haec omnia passus numquam lamentatus est; interdum autem illam aspiciebat oculis perquam miris magnis maestis. Tum Margarita se

---

<sup>8</sup> **labiis stridēre** *schmatzen*.

<sup>9</sup> **nidōrō, -āre** *dampfen*. cfr Wörterbuch der lateinischen Sprache, p.414: „NIDORO, are, v.n. Dampf ausströmen: „olefacit, nidorat, redolet“, NOTAE TIRONIANAE p.167.“ – cfr HORATIUS sat.II 19sq. non in caro nidore voluptas, sed in te ipso est.

<sup>10</sup> **canis villōsus** *Pudel*.

convertebat et cachinnans abibat. Orthobius autem per molinae machinamenta lentê gradiebatur in hortum, ubi rivus fremens et stridens rotam haustoriam<sup>10</sup> in gyrum vertebat. Guttae dispersae sole coruscabant, ex undis salientibus prosiliunt pisciculi fulgidi, in saepibus cantabant aves et fragrantia suavis ascendebat ex omnibus floribus. Orthobius autem sedebat et oculis torpidis ante se prospectabat, et guttis ex rota stridenti expersis interdum admixta est gutta, quae ceciderat ex oculis ardentibus.

Aestas transacta est, vênit autumnus, facta est hiems, et tum subito finita est Orthobii patientia. Nocte Christi tenebrosâ îdem cum face ardente iit ad ecclesiam, ut particeps esset missae angelorum. Animadvertit quidem homines, in quos incidebat ecclesiam aditurus, modo magnis modo furtivis vocibus cachinnare. Putavit se fortasse veste suâ sollemni indutum in androne obscuro nimium appropinquasse saccis farinae... sed eius vestis erat pura et immaculata. Tum audivit vocem: »En videte miraculum! Asini nunc facti sunt boni christiani....Iam aliqui asinus vênit ad ecclesiam!« Puer autem, qui haec verba ridens ediderat, bracchio erecto indicavit Orthobii cappam. Is autem capite attacto cappam deripuit et vehementer expalluit conspiciens duas aures verê asininas cappae suae utrimque assutas.

Tum cachinnus maximus circa eum est sublatus, Orthobius iam erat invecturus in iridentes, cappam humum deiecturus... tum conspexit Margaritae oculos iridentes... et nunc scivit, quis istam infamiam sibi intulisset.

Ira eius nunc subito visa est defervescere; licet genae eius fuerint etiam pallidiores, sed superbê surrexit, labiis micantibus austerê subridens, denuo cappam cum ornamento asinino capillis suis crispis appressit. At oculi eius tam vehementer coruscabant, ut nemo sociorum auderet denuo ridere. Margarita quoque desierat ridere. Cappâ asininâ indutus Orthobius ante portam ecclesiae audivit missam angelorum, campanis in reditum sonantibus, non iam iter fecit ad molinam, sed ad domunculam matris. Postridie vênit molinarius. qui

---

<sup>10</sup> **rota haustōria** *Schaufelrad*. Lateinisch-deutsches (und deutsch-lateinisches) Wörterbuöh. 3. Aufl, Band 2, 2.Abteilung (M-Z), col.2508: „Schöpfrad, tympanum haustorium, rota haustoria...“

nollet carere socio probo; sed quotcumque îdem verba faciebat rogabatve, Orthobius eum aspectabat oculis obscuris, nullum verbum êdens, caput quatiens, Deinde Orthobius quaesivit patris pedicas atque decipulas ferrugine obtectas, purgavit, profectus est in silvam hiemalem, ut captaret lupos, vulpes, ictides<sup>11</sup>. Nix cum liquesceret et cantrices plumosae e meridie reverterentur, Orthobius construxit et collocavit tendiculas avicipulasque, et falconibus advolaturis in arborum altissimarum culminibus corbes accipitrum retiaque falconum imposuit, ut magnâ pecuniâ venderet nonnullam avem venatoriam nobilem castrorum dominis divitibus. At quaecumque faciebat et parabat, haec faciebat parabatque sine gaudio, quietê ac maestê. Saepe Orthobius per totos ferê dies aliquo loco in silvâ sedebat, cuius arbores iam sensim gemmascebant.

Aves nucifragae<sup>12</sup> curiosê eum aspectabant cogitabundum, et quandocumque Orthobius movebatur manûsque oculis apprimebat, eae aves magnâ voce gracillantes avolabant, sed earum vox videbatur sonare quasi vocarent »Margarita! Margarita!« Deinde Orthobius cappâ depositâ dolorosê subridens aspectabat ornamentum eius griseum. Hanc cappam cum ex illâ nocte Christi gestaret diem de die, homines vicani Orthobium appellare solebant »Asinum«<sup>13</sup>. Non audebant quidem hoc supernomen coram Orthobio eloqui, sed Margaritam de eo certiozem fecerant, et ea quandocumque idem supernomen audiebat, erubescibat et expallescebat. Puella non viderat Orthobium ex illâ Nocte Sanctâ; nam eadem vitabat propinquitatem domûs Annulae, sicut Orthobius vitabat propinquitatem molinae.

---

<sup>11</sup> **ictis**, ictidis f. *Marder*. cfr Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.146; „Ictis...Es besteht... kein Zweifel, daß in der Antike mit ἰκτίς sowohl der Baum- oder Edelmarder, *Mustela martes* = Martes martes, der heute in Griechenland fehlt, als auch der Haus- oder Steinmarder, *Mustela foina* = Martes foina, bezeichnet wurden.“

<sup>12</sup> **avēs nucifragae** orig. *Nusshäher*.

<sup>13</sup> »**Asinus**« orig. *Graumann*. Quo nomine appellabantur asini: cfr GRIMMSCHES WÖRTERBUCH, [Bd. 8, Sp. 2167], s.v. **Graumann**, m.: „1) für ein graues pferd oder verächtlich für einen alten gaul, im 16. jh., aber vorwiegend in den aus graumann entstellten formen gromann, gromen, gramann, gramma u. ä., vgl. s. v. gromann teil 4, 1, 6, sp. 442f. und unten graumännlein 1: da begegnet jn ein alter gramann auff ein dürre weyd gespannen, der etwa ein reysiger gaul gewesen sprichw., schöne weise klugreden (1548) 15b; dazu Fischer schwäb. 3, 811; schweiz. id. 2, 732. 2) **als kosename für den esel**: aber wohin in diesem grätzlichen lande? komm, graumann Dörfler Peter Farde (1929) 96. 3) 'kobold', s. [DWB graumännchen](#), [DWB graumännlein](#) 2: der berg, auf welchem der graumann dem bauer zuerst erschien, heist Teufelsberg“.

Nunc fuit septimanae antepaschalis feria quinta in cenâ Domini. Tum Annula vetula filio suo dixit: »Orthóbi, ultimum nostri cremium est combustum«.

Is: »Cras et perendie« inquit, »erit dies sanctus, quo oportet ne qui ignis ardeat in foco«.

Mater Annula subridens dixit: »Neve fiat ulla opera. Sed utinam habeas assum tuum paschale! Nisi hodie in silvam ieris lignatum, fornax nostra paschali quoque die manebit frigida!«

Orthobius tantummodo annuit, cappam suam asininam sumpsit, asciam umero imposuit, in silvam profectus est. Sibi elêgit stipitem aridum; at asciâ sublatâ sensit bracchium suum tamquam manibus invisibilibus retineri. Stupefactus caput quassit, bracchia sivit delabi. Quotcumque eadem denuo sustulerat, iterum iterumque sentiebat illam potestatem mysterialem, quae videbatur protegere arborem periclitantem. Cum autem Orthobius non solebat formidine corripì, cogitavit: »Exspecta, te quidem superabo!« ... subito asciam humum cadere sivit ambasque manûs ultro in aëra protendit. Īdem miratus est sub manibus sentiens aliquid panno sericeo simile, statim conspexit ante se salaputium pumilum, vix trium palmorum longitudine, capillis barbâque ruberrimis, rubrâ veste rubrisque bracis. Īdem nanus irâ incensus ambobus pedibus palpitans similis fuit flammulae coruscanti.

Orthobius risit, primo omnium risit ex nocte illâ Christi, ridensque rogavit illum: »Eia, salvet te Deus, vir generosissime, quisnam vocaris?« - »Vocor Iohannes Iovídiés,« nanus pipiavit, »nec patior te arbores cadere lignumque findere die mei sancto«.

»Bene, desinam haec facere, tui gratiâ,« dixit Orthobius. Tum subito facies pumilionis facta est perquam comis, pumilis ocellis connivens suspexit ad Orthobium furtimque cachinnans: »Pro clementiâ tuâ« inquit »dabo tibi mercedem. At nunc redde mihi cappulam!« His demum verbis auditis Orthobius animadvertit se tenêre cappulam exiguam coloris rubri digitis interpositam. »Redde mihi cappulam meam, pro eâ optatum tui explebo! Vin' me tibi monstrare thesaurum terrae insitum? An vis discere, quomodo lapides in aurum mutantur?«

Orthobius gemens: "Heu," inquit, "utinam scirem, quomodo animus mutetur Margaritae!"

Tum Iohannes Iovidies furtim cachinnans: »inice,« inquit, »inice illam in ignem paschalem!« Et mustelae agilitate salaputium cappulâ apprehensâ auribusque superpositâ sine morâ aufûgit. evasit, erupit....

Orthobius autem stupefactus in vanum prospexit. Qui murmuravit: »Inice eam in ignem paschalem!« Quemnam? Margaritamne? Et horrore correptus est in dorso atque in anima suâ. At verba illa non iam evaserunt ex auribus eius - ut plumae in procellâ nivali, ita cogitationes in eius capite agitabantur. Vix animadvertit se asciam umeris imponere et viam domum eundi quaerere.

Campanae autem ex vico versus Orthobium resonuerunt, sed idem iuvenis illas non audivit, nam iter faciebat somnians. Paulatim campanae obmutescebant, una post aliam, usque dum tandem ultimus sonus per terram personuit tamquam gemitus timidus et dolorosus... mortuae erant campanae cum servatore demum resurrecturae Sancto Die Paschali. Cum campanae tacebant, ex omnibus tectis vici ascendit fumus albus ... vapor aquae, quâ extincti erant ignes focorum. Orthobius autem vaporem non vidit, qui somnians iter suum faciebat, et domunculam matris assecutus non animadvertit multa illa ligna pulchrê diffissa, quae iuxta saepimentum horti erant exstructa. Nescio an Iohannulus Iovidies huic rei subfuerit.

Orthobio autem proximus dies transactus est tamquam somnianti, necnon dies sequens. Cum autem diei antepaschalis vespere mater Annula fascem cremiorum benedictorum ponderosum colligaret, Orthobius raptim prosiluit et dixit facie igneo rubore suffusâ: »Da mihi ligna, mater, sine me ignem afferre!« Fasce subbaiulato longam facem apprehendit, quâ ex igne flamma resurrecta ad focum matris Annulae erat apportanda.

Cum maximê sol procul in longinquo ruberrimus occideret, Orthobius collem assecutus est, in quo ignis paschalis oportebat ardere per totam noctem. Ex alterâ parte modo vênit Margarita. Vir non suspexit ad illam, puella autem oculis verecundis leviter aspexit eius cappam asininam, et manûs Margaritae tremuerunt, cum in ingenti strue lignorum, quae iam collecta erant, sua cremia posuit iuxta Orthobii.

Ultimo splendore sôlis evanescente omnia erant quieta...et omnes oraverunt. Deinde vici viri vetustissimi congregati sunt, ut eligerent illum, qui accenderet ignem sacrum, qui excitaret flammam dormientem. Senes elegerunt Orthobium Asinum... hic erat honor maximus, quo quis poterat exornari; hōc honore exornatus habebatur pro probissimo, pro honestissimo, is credebatur habere et manum et cor omnium purissimum! Itaque nunc genae exarserunt Orthobii gaudio elati e circulo prodeuntis. Tum unus e vetustissimis manum brachio Orthobii imponens: »Sentio« inquit »oportere, mi Orthobi, ut cappulam tuam deponas«.

Orthobius autem caput quassit. »Nequaquam. Cappam meam geram. Alioquin malim alius quisquam ignem accendat«. Itaque illi permiserunt, ut Orthobius ignem excitaret cappâ asininâ indutus. Is ex chalybe atque lapide excussit scintillam, in musco arido eam afflavit, ut fieret ardor rubidus; fomitem candescentem immovit in mergitem tritici et flabat, usque dum ex culmis flavis flamma exsiliret lucida. Tum centum ferê homines iubilavere plenis vocibus... iam assulae inflammatae sunt et mox nox mutata erat in diem, nam ex cumulo ardenti flammae flagraverunt arborum altitudine. Sacri ritûs exerciti sunt praevetusti, ingens aries assatus est verui affixus, omnis ex hac carne comêdit, deinde coeperunt cantare et saltare et laetê computare. Duo tantum harum rerum non fuerunt participes...Orthobius Asinus qui excitator et custos ignarius tacitus et cogitabundus sedebat iuxta ignem... et Margarita, quae aufugerat in umbram vetustae abietis nocturnam.

Primâ luce luridâ exortâ primâque aurulâ matutinâ collem afflante voluptas celebrandi est finita, viri mulieresque, unus post aliam accesserunt ad struem lignorum facem accensuri flammamque ex igne sacro sumptam domum allaturi in annum venturam. Etiam Margarita advênit, tacita, capitulo declinato - et tum subito Orthobius sibi visus est audire vocem pipiantem alicuius invisibilis: »Faciam, ut illa caespitet - tu quoque fac ei ictum bonum!« Tum Orthobius subito terrore tam vehementer correptus est, ut gelidus sanguis eius formidine coiret<sup>14</sup>. »Per Christi caritatem, ne istud facias, Iohannes Iovidies« iuvenis balbutivit. At tum iam conspexit Margaritam

<sup>14</sup> cfr VERG.Aen.III 30sq. ...Mihi frigidus horror/ membra quatit gelidusque coit formidine sanguis.

titubantem, periculum fuit, ne ea incideret mediam in flammam - at Orthobius Asinus manûs erexit - modo illam apprehendit, raptim retraxit ab igne et tenuit bracchiis suis servatam. Puella autem se expedivit a viro, lacrimans manûs fronti obtendit, per multitudinem aufûgit. Iterumque homines venerunt, unus post alium, ignem secum ablaturi domumque portaturi. Ultimus facem accendit Orthobius, et vix ea exarserat, humi iam extincta est ultima flammula flagrans. At iuvenis domum iturus sub abiete conspexit Margaritam sedentem.

Orthobius voce leni atque tranquillâ: »Margarita«, inquit, »ubi habes facem tuam? Nisi ignem domum attuleris, damnum faciet domus vestra, et quid dicet pater tuus?«

Illa tacita abnuit, lacrimas siccavit cadentes, surrexit, facem quaesivit, ad locum igniarium rediit. Ab ibi tenuis tantum ardor restabat in cinere. »Ergo sume ignem de igne meo« Orthobius dixit facem puellae obtendens.

Tum illa ad iuvenem suspexit lacrimâ in oculis exortâ. Quae: »Orthobi« balbutivit. »Potestne fieri, ut mihi ignoscas?« - »Iam pridem tibi ignovi. Nam id quod feceras in infamiam mei, factum est mihi honori«. - »Quidnam debeo facere, ut istud obliviscaris? Loquere, Orthobi! Hoc faciam libentissimê!« - Ille puellam aspexit, et cum oculos Margaritae obsecrantes eiusque ôs lene videret, sanguis eius efferbuit. Tum Orthobius dixit voce tremulâ: »Debes mecum ecclesiam adire manu tuâ et meâ inter se coniunctis!« - »Heus Orthobi, hoc faciam tam libenter, ex animo libenter!«

Orthobius quidem maximê cupivit facem abicere et puellam amplecti ambabus manibus. Sed animo cohibito dixit: »Si tu eris uxor mea, iubebo lapicidam venire et supra ianuam meam exsculpere caput asini. Et velim vocari Orthobius Asinus per totam meam vitam reliquam!«

»Hoc facias, Orthobi, hoc facias!« illa dixit et subridens et lacrimans. »Unum dicam praeterea, Margarita - hanc cappam geram die meo nuptiarum!« »Bene, geras, Orthobi, geras eam!« Margarita dixit Orthobium aspiciens oculis beatis.

Nunc vir vidit animum puellae esse mutatum tamquam lapidem in aurum, et iubilo canoro sublato cappam asininam de capite suo raptam



in ardorem iniecit languescentem. Et ecce flammulâ e carbonibus exsiliente cappa absumpta est, cum in propinquo auditus est furtivus cachinnus vocolae exiguae. Hac autem flammulâ usa Margarita accendit facem suam, deinde Orthobius bracchium circumposuit amatae suae collo, et sic migraverunt per collem deorsum et in vicum, ut domum venirent. Cum viae eorum inter se disiungerentur, Orthobius osculatus est Margaritae oculos et ôs et genas.

Mirum, verê mirum hoc fuit! Duo igniculi, faculae ardentes nunc visae sunt una ab alterâ abiturae in câno crepusculo matutino - ... at modo duae flammae in unam coaluerant amore flagrantissimo.



## **HANC FABELLAM**

### **A LUDOVICO GANGHOFER SCRIPTAM**

### **QUAE ORIGINALITER INSCRIBITUR**

**»Hans Donnerstag. Ein Ostermärchen«**

### **IN LATINUM CONVERTIT**



## **LEO LATINUS**

# PASCHALE ASSUM LEPORINUM



\* \* \* \* \*

5 asteriscis praemiatum

## **Paschale assum leporinum embammati crameo bene condito intinctum**

### **ADDITAMENTA**

**600 g umerorum leporinorum**

**1 ligula sinapis acris**

**15 g pinguaminis vegetalis**

**40 g lardi fumigati tessellatim concisi**

*Tergillam quoque adhibeto!*

**1 cepa in maiores tessellas concisa**

**1 cochlear medullae lycopersicorum**

**100 ml vini rubri austeri**

**0,5 lycopersici in subtiles tessellas concisi**

**1 frustulum putaminis citrini non tractati**

**200 ml bulliginis (i.e. iuris carniū)**

**1 ligula mixturae condimentorum ad feras aptae**

**3 cochlearia crami**

**1 ligula gelaminis ribesiorum rubrorum**

**amylum peragitatum**

1 Ollam assatoriam operculo tectam calore miti calefacito. Sartagini magnae indito pinguamen vegetale, calefacito. Umeros leporinos lautos et panno apprimendo siccatos altero in latere sinapi illinito, deinde in pinguamini vegetali assato, usque dum colorem ducant aureo-fuscum; in assando tergillas lardique tessellas interspergito, ut una cum umeris assentur.

2 Etiam tessellas cepae paulatim et gradatim addito et assato, usque dum omnia colorem ducant iucundum. Carnes in ollam transponito. Medullam lycopersicorum sartagini ad tessellas cepae et lardi indito, breviter subassato, vinum rubrum infundito. Curato, ut omnia fortiter effervescent, deinde affundito ad carnes ollae inditas.

3 Sartagini bulliginem indito; quâ curato, ut substantiae attostae coquendo solvantur; hoc ius unâ cum tessellis lycopersici et putamine citrino carnibus addito. Haec omnia mixturâ condimentariâ condito et per 60 ferê minutas miti calore assato.

4 Si caro est percocta, eximito et calidam teneto, usque dum embamma est confectum. Ad id faciendum basin embammatis machinâ mixtoriâ misceto, ut fiat laeve. Cramum et gelamen ribesiorum addito, degustato; si necessarium est, amylo aquâ commixto leviter cogito. Carnem in embamma reponito, ut ibidem breviter percoquatur.

5 Assum leporinum apponito cum globulis et brassicâ rubrâ... Optimê sapiat tibi hic cibus simplici modo modicoque pretio apparatus, die sollemni minimê indignus, sed sapidissimus maximêque pollucibilis!!!



**Exornatissime ac doctissime Domine,**

*“Corpori tota in eius extensione, i.e. mundo facto, potentiae tuae gratia et fides meae, puncto convergente magnifico et vivente ubi omne dilabatur et ad vitam semper venit ... Ego omnino me do ...”* ( Petrus Teilhard de Chardin)

Vobis ferventibus optimum diem festum Paschalem exopto.

**Johannes Teresi**

## **Tunica veneranda**

*Corpus se trahit cruciatum, exanimatum*

*per duram Calvariam male crepidatum.*

*Iam non est in cordibus pietas*

*innocentia, sapientia interficitur*

*fructus Vitae frustra intelligitur.*

*Tunica cruore perfuso imbuitur*

*lacera et luto sordida, vulneribus tegitur.*

*In Calvaria crux, stans inter vicinos criminosos*

*fert membra exilia, confixa, dolores ignotos.*

*Jesus horrorem non curat*

*Dei Filius parcit et amat.*

*Mater interea tunica potitur*

*lindea Filii calida amplectitur;*

*Eum Divinum corde vulnerato immo admiratur,*

*deinde non clamat, quia futurum eius consideratur:*

*"Non omnis morietur".*

*"Resurrexit", fratres eius tandem clamabunt*

*ineptiae sunt ea momenta, numquam errabunt.*

*Vita iam resplendet extinctis caliginibus*

*implet caeli fines imbribus tenacibus*

*terramque dulcibus lacrimis patentibus.*

*Lux Divina delet postremo mortem et dolorem.*

*Rem spe delenit mortalem et angorem.*

***Johannes Teresi***

## CHRONOGRAMMATA HERBERTI DOUTEIL

Sat, 24 Mar 2018 16:06:37 -0500

Chronogramme zu Mariae Verkündigung, Palmsonntag und zum Fest von Theresa d'Àvila am 25. 3. und zum 28.3. – Herzlichst, Pe. Herbert

Zum 25. März, zum **Fest der Verkündigung Mariens:**

2018\* fert egregIVs gabrIeL arChangeLVs „aVe“, CreDens MarIa fIt noVa eVa. Verbo patrIs et VI spIrItVs sanCtI parItVr FILIVs IesVs. – Es bringt der hervorragende Erzengel Gabriel das „Ave“, Maria glaubt und wird eine neue Eva; durch das Wort des Vaters und die Kraft des Heiligen Geistes wird der Sohn Jesus gezeugt. – *Im Jahre 2018 wird wegen der Karwoche die Feier des Festes auf den 9. April verlegt*

2018\* In greMIo MatrIs VIVIt sapIentIa patrIs – Im Schoß der Mutter lebt die Weisheit des Vaters – nach der Inschrift auf dem Gnadenbild von Re in Piemont

Zum 25. März, dem **Palmsonntag:**

2018\*/2018\* pII pVerI hebraeI et pLebs fLores tenentes tIbI Cantabant: beneDICTVs sIt FILIVs patrIs nostrI regIs DaVID, hIC reX qVI IbI nobIs VentVrVs erIt! –tIbI sIt, reX IesV, sVper pVLLVM asInI seDentI, pIa paX et gLorIa, LaVs aC honor, hosanna In eXCeLsIs! - Fromme Kinder der Hebräer und das Volk hatten Blumen <in den Händen> und sangen dir: „Gepriesen sei der Sohn unseres Vaters, des Königs David, dieser König, der dort für uns kommen wird!“ – „So sei dir, König Jesus, der du auf dem Füllen eines Esels sitzt, gottesfürchtiger Friede und Herrlichkeit, Lob und Ehre! Hosanna in der Höhe!“ – vgl. Mt 21,9.10; Mk 11,9.10; Lk 19,38

Zum 28. März, dem **Fest der heiligen Teresa d'Àvila:**

2018\* pIa teresa IesV D`aVILa DICIt: nIhIL te pertVrbet, nIhIL te In terrIs terreat, nIhIL nIsI DeVs trInVs, pater et eIVs FILIVs atqVe spIrItVs te satIsfaCIat. – Die gottesfürchtige Teresa von Jesus d'Àvila sagt: Nichts soll dich verwirren, nichts auf Erden soll dich erschrecken, nichts außer dem dreifaltigen Gott, dem Vater und seinem Sohn Jesus und dem Heilige Geist soll dir genug sein! – *Der Ordensname der heiligen Kirchenlehrerin Teresa d'Àvila (28.3.1515 – 4.10.1582) lautete „Teresa von Jesus“.*

## Chronogrammweg von Gründonnerstag bis Ostersonntag – herzlichste Osterwünsche, Pe. Herbert

Zum 29. März, zum **Gründonnerstag**, zum Gedenken an die Einsetzung der Hl. Eucharistie:

2018\* hIC panIs est Vere CorpVs ChrIstI, hIC In CaLICE noVI et aeternI testaMentI est In VerItate sangVIIs ChrIstI agnI pII effVsVs pro nobIs et peCCatIs nostrIs atqVe totIVs orbIs. – Dieses Brot ist wirklich der Leib Christi, hier im Kelch des neuen und ewigen Bundes ist wirklich das Blut Christi, des frommen Lammes, ausgegossen für unsere Sünden und die des ganzen Erdkreises! - Mt 26, 26.27.28

2018\* MeMorIa egregIa passIonIs VIItIs VerItatIs. – Das hervorragende Gedächtnis des Leidens des wahren Weinstocks (cf. Joh 15,1).

2018\* Vt oMnes In terrIs VnVM sInt – Dass doch alle auf Erden eins seien! (Joh 17,21)

Zum 29. März, zum **Gründonnerstag**, zum **Gedächtnis des Gebetes Christi beim Blutschwitzen im Ölgarten**:

2018\* IesVs orat: pIe pater, VenIt hora, noLI saLVIFICare Me eX hora Ista! pIe pater, nVnC CLarIFICabo te aLte. sI ego Ipse IbI LIgnIs eXItVs affIXVs a terra eXaLtatVs fVero, prInCeps hVIVs orbIs eICietVr foras. – Jesus betet: Gütiger Vater, die Stunde ist gekommen. Befreie mich nicht aus dieser Stunde! Gütiger Vater, nun werde ich dich hoch verherrlichen. Wenn ich dort an den Hölzern des Todes von der Erde erhoben angenagelt bin, wird der Fürst dieser Welt hinausgeworfen werden. - Jo 12,27.28.31.32 – *Auch wenn Jesus dieses Gebet an den Vater in einem anderen Zusammenhang gerichtet hat, als er am Palmsonntag in Jerusalem eingezogen war, so gilt es auch für das Gebet im Ölgarten, wo er den Willen des Vaters nach dem „Vater, wenn es möglich ist, lass den Kelch an mir vorübergehen“, dann doch mit den Worten: „doch nicht mein, sondern dein Wille geschehe!“ ohne Vorbehalt annimmt.*

Zum 30.März, zum **Karfreitag**:

2018\* IesVs Xrs CrVCIFICatVs aIt per os prophetarum: In CarItate VerItatIs perpetVa et egregIa DILEXI te, propterea attraXI te MISerans - Jesus Christus sagt bei seiner Kreuzigung durch den Mund des Propheten: „Mit wahrer, ewiger und vorzüglicher Liebe habe ich dich geliebt und deshalb voll Erbarmen an mich gezogen“. Jer 31,3; vgl. Joh 12, 32

2018\* /2018\* **MysterIVM InIqVIatIs serpentIs fortIs et Irae – erIt nobIs MysterIVM bonItatIs fortIs atqVe pletatIs** - Geheimnis der Bosheit der starken Schlange und des Zornes – wird für uns das Geheimnis der starken Güte und Milde sein.

2018\* **passIo atroX atqVe pVra IesV ChrIstI In CrVCE eXVtI Vere suffICIt pro oMnIbVs neC Vero effICIt totes saLVos CaVsa LIBerI arbItrII VnIVsCVIVsqVe.** - Das blutige, aber zugleich unbefleckte Leiden des am Kreuz entblößten Jesus Christus ist wirklich genügend für alle, macht aber nicht alle wirksam selig wegen des freien Willens eines jeden. - Es ist ein Chronogramm zur offiziell am 01. 12.2013 im Kanon der Messe verpflichtend wieder eingeführten Übersetzung des übereinstimmend von Matthäus (Mt 26,28) und Markus (Mk 14,24) überlieferten „pro multis“ = „für viele“ statt des zwischenzeitlich gebräuchlichen „für alle“; das Chronogramm gibt die in der mittelalterlichen Theologie übliche Unterscheidung von „genügend für alle“, aber der wegen des freien Willensentscheides eines jeden Menschen „Wirkmächtigkeit nur für viele“ wieder.

2018\* **pILatVs Interrogat: qVID est VerItas? CentVrIo eI Ita responDet: Vere DeI FILIVs erat Iste a nobIs Ibi In LIgno CrVCIs affIXVs.** - Pilatus fragt: „Was ist Wahrheit? (Jo 18,38)“ – Der Hauptmann antwortet ihm so: „In Wahrheit, dieser war ein Sohn Gottes (Mt 29,54), der von uns dort ans Holz des Kreuzes geschlagen wurde!“

2018\* **pretIo Magno sangVINIs nostrI agnI IesV eMptI estIs.** – Ihr seid um einen hohen Blutpreis unseres <Opfer>Lammes Jesu erlöst! – 1 Kor 6,20


2018\* **VIrgo MarIa est Mater IesV et erIt nobIs sIne fIne et pIa.** – Die Jungfrau Maria ist die Mutter Jesu und wird in Ewigkeit auch für uns eine gütige <Mutter> sein. – vgl. Joh 19,27

Und das Chronogramm für denselben Tag zu allen Leiden aller Verfolgten aller Zeiten:

2018\* **haeC passIo egregIa hoMINIs FILII DeI CreatI fit et passIo ChrIstI FILII InCreatI** – Dieses ausererlesene Leiden des Menschen, des erschaffenen Sohnes Gottes, wird auch zum Leiden Christi, des ungeschaffenen Sohnes (vgl. Mt 25,40.45).



Zum 30. – 31. März und zum 1. April, zu **Karfreitag, Karsamstag und Ostersonntag:**



Zu den drei Bildern mit dem Antlitz Christi – das erste zeigt durch die Übereinanderblendung der Bilder von Turin und Manoppello auf das Blutuch von Oviedo das Haupt voll Blut und Wunden Christi am Karfreitag – das zweite Foto zeigt das Negativ des Sudariums von Turin – das dritte Foto zeigt das Antlitz des Auferstandenen am Ostermorgen:

2018\* aVe, Vera faCIes DoMInI nostrI IesV ChrIstI, qVI resurreXIIt eX InferIs, sIs nobIs pIa et benIgna hIC In terra et In saeCVLa. - Sei begrüßt, wahres Antlitz unseres Herrn Jesus Christus, der von den Toten erstand, leuchte uns gütig und gnädig jetzt auf der Erde und in alle Ewigkeit!

Zum 1. April, dem **Osterfest**, schrieb ich folgende Chronogramme:

2018\* agnVs fortIs portas regnI MortVorVM fregIt! – Das starke Lamm hat die Tore zum Reich der Toten erbrochen! - vgl. 1 Petr 3,19: „Im Geiste ging er auch hin zu den Geistern im Gefängnis und predigte ihnen ...“

2018\* aLLeLVIA! IesVs ChrIstVs fILIVs Dei nostrI aeternI Ipse fortIs resVrreXIIt eX MortVIIs! aLLeLVIA! - Alleluja! Jesus Christus, der Sohn unseres ewigen Gottes, er, der Starke, ist von den Toten erstanden! Alleluja!

2018\* aVe regIna pIa CaeLI, Laetare, aLLeLVIA, qVIA tVVIs a te DIgne portatVs atqVe natVs resVrreXIIt et VIVIt, sICVt In VerItate DIXIt, aLLeLVIA. roga pro nobIs, aLLeLVIA, aLLeLVIA. – Sei begrüßt, du gütige Königin des

Himmels, und freue dich, alleluja, denn dein Sohn, welcher von dir in Würde getragen und geboren wurde, ist auferstanden und lebt, wie er es in Wahrheit gesagt hat, alleluja. Bitte für uns, alleluja, alleluja! – Unter fast wörtlicher Verwendung der Marianischen Laudes- und Vesperantiphon der Osterzeit.

2018\* **CarI** fratres, **VIVaMV**s **eX nVnC** **In** **sobrIetate** et **In IVstItIa** **IesV ChrIstI** **fILII DeI** et **fratrIs** **nostrI Vere** **resVrreCtI**. – Liebe Brüder, lasst uns von jetzt an in Nüchternheit und in der Gerechtigkeit Jesu Christi, des Sohnes Gottes und unseres Bruders, leben, der wirklich auferstanden ist. - (vgl. Tit 2,12)

2018\* **hoDIe** **IesVs ChrIstVs** **reX** **noster** **fortIs** **resVrreXI**t **eX** **InferIs**, **Vt pIe** et **Vere** **renoVatI VIVaMV**s **In** **VIta** **noVa** **patrIae** **LVCIs** et **IVstItIae!** **aLLeLVIA** - Heute ist unser starker König Jesus Christus von den Toten auferstanden, damit wir fromm und als wirklich Erneuerte in einem neuen Leben der Heimat des Lichtes und der Gerechtigkeit leben. Alleluja!

2018\* **hoDIe** **IesVs ChrIstVs** **nazarenVs** **resVrreXI**t **eX** **InferIs** **Vt** **VerItate** **renoVatI IVstI** **VIVaMV**s **In** **VIta** **noVa** **LVCIs** et **IVstItIae**. **aLLeLVIA!** - Heute ist Jesus Christus von Nazareth von den Toten auferstanden, damit wir als durch Wahrheit Erneuerte als Gerechte in einem neuen Leben des Lichtes und der Gerechtigkeit leben. Alleluja!

2018\* **IbI** **MorIens** **patIor**, **Vt** **potIar** **sIne** **Morte** **resVrgens** **tIbI**. – Dort leide ich, wenn ich sterbe, damit ich für dich ohne Tod durch die Auferstehung herrsche. – *Unter Verwendung eines mittellateinischen Wortspiels.*

2018\* **IesVs ChrIstVs** **eX** **pIa** **VIrgIne** **natVs** **Ipse** **resVrreXI**t **VIVV**s **tertIa** **DIe** **eX** **sepVLCro** **sICVt** **apostoLI** **sVI** **etIaM** **sensIbVs** **proprIIs** **repentIne** **probaVerVnt** - Jesus Christus, der aus der gütigen Jungfrau geboren wurde, erstand wirklich lebendig am dritten Tage aus dem Grab, wie es seine Apostel unvermutet mit ihren eigenen Sinnen geprüft haben - *(nach Augustinus) zu Ostern*

2018\* **IesVs** **est** **DoMInVs** **et** **DeVs** **noster** **fortIs** – vgl. Jo 20,28 – Thomas: „Mein Herr und mein Gott!“

2018\* **IhesVs** **est** **et** **erIt** **DomInVs** **et** **DeVs** **noster** – Jesus ist und wird immer unser Herr und Gott sein. - vgl. Jo 20,28 – Thomas: „Mein Herr und mein Gott!“

2018\* **paVLVs** **sCrIpsIt** **CorInthIIs**: **sI** **ChrIstVs** **non** **resVrreXI**t **InanIs** **est** **praeDICatIo** **nostra**, **InanIs** **est** **fIDes** **Vestra**. **nVnC** **Vero** **ChrIstVs** **resVrreXI**t **eX** **InferIs** **et** **VIVIt** **IbI** **In** **aLtIs** **CaeLI**s **et** **VentVrVs** **erIt** **et** **regnatVrVs** **sIne** **fIne** **sVper** **VIVos** **VnIVersI** **orbIs**. – Paulus hat an die Korinther geschrieben: Wenn Christus nicht auferstanden ist, dann ist töricht unsere Predigt, töricht ist auch euer Glaube. Nun ist aber Christus von den Toten auferstanden und lebt dort im

hohen Himmel und wird wiederkommen und ohne Ende über die Lebenden des gesamten Erdkreises herrschen. - 1 Kor 15, 14.20

2018\***V**t non e**V**a**C**vet**V**r **C**r**V**X Ies**V** nostr**I**, **L**ign**V**M **V**irt**V**t**I**s atq**V**e **C**ontra**D**IC**T**ion**I**s. – Dass doch nicht das Kreuz unseres Jesu, das Holz der Kraft und des Widerspruches ausgehöhlt werde! – vgl 1Cor 1,17 (auch im Original der Vulgata das „Vt non“ statt des eigentlich zu erwartenden „ne“)



**HAEC CHRONOGRAMMATA COMPOSUIT  
PATER DR.HERBERTUS DOUTEUIL**

## CAROLINGIUS

Mon, 26 Mar 2018 10:22:46 +0100

Gregorius Leonem salutat.

Novissimus *Carolingius* libellus argumentum continet de senatu Romano restituendo, quod hic reperitur: <http://greg-ory.org/thecarolingian2018.html#gb> . *Carolingius* libellus est de aethetica et litteratura quem multis sermonibus ex 2016 edidimus. Primum nostrum officium est pro bono scribentibus locum publicum in-linea offerre.

Adhortamur Latine scribentes ut de praesentibus negotiis tractent, sive de re politica sive oeconomica etc. Istae sunt questiones quae classico vocabulario haud facile tractantur, cum exempli gratia de technologia vel interreti agitur, at hoc est consilium: *Carolingius* quasi dextram dat et manibus suis audaces salutat disquisitiones, quibus novissima vero experimenta semantica vel stylistica, ut vocamus, tamquam luci diei agantur.

Libellus non precatur anathema in ullum genus Latine scribendi, nec posuimus ut conditionem sine qua non "proprietas" conceptum (id est, quod omnia vocabula modo utantur ut olim utebantur ante Christum natum). Nam satis iam vidimus et manifestum est quam pulcher et venustus ille usus fuit, sed nobis paulum expedit de praesentibus cum apparatu archeologico tantum scribere. Melius est dialogus inter genera fovere et optimum studere quomodo vetus proprietatis conceptus hodierna semantica bene coniungatur.

Libellus internationalis nullae factioni politicae favet, favet dialogo. Agnoscimus autem principia posita in Declaratione Universali de Humanis Iuribus, nec in vulgus edemus verba contra illa gravissima iura. Tractationes usque ad 5000 vocabula continentes edi possunt. Hic reperitur novissima species:

<http://greg-ory.org/thecarolingian2018.html> .

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymu s (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE -Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschenba ch	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	<b>A</b>	<b>938905-28-9</b>	<b>T.LIVIO DESCRIPTA</b>						
<b>30</b>	<b>00307</b>	<b>978-3-938905-29-6</b>	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



# **VOTA PASCHALIA**



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR**

**IN FESTUM PASCHALE ANNI MMXVIII**

**OPTIMA QVAEQVE TIBI EXOPTAT**



**LEO LATINUS**



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEXAGESIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Sabbato Sancto sive Feriâ Sabbati  
31. m.Mart. a.2018**

**Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>